



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IX. An & quando venditor teneatur emptori de evictione, & in quibus casibus non obligetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

rem venditam emptori reddere teneatur; siue in gratiam utriusque sit additum, ut tam venditori scilicet rem venditam restituere teneatur emptor, si pretium illi refundatur, quàm emptori liceat rem emptam suo venditori reddere, & expensum pro ea pretium repetere, ita tamen ut ob tale redimendi pactum, pretium etiam pro re taliter vendita, aut emptam, majus, aut minus sit, pro diuersitate contractuum in hujus vel illius favorem, factorum; & juxta pacti additi tenorem, vel idem pretium, quo res emptam, aut venditam fuit, vel pretium currentis pro tempore, quo retrovenditio, aut redemptio facienda esset, reddendum sit. Ratio horum omnium videtur esse, quòd per tale pactum nulli fiat injuria, neque contractus emptio- nis, venditionis patiatur aliquid, & *Le. 2. Cod. de pactis inter emptorem & venditorem*, hæc pacta approbentur: neque enim contractus hic absolute reprobatus est in *Capit. ad nostrum §. h. t.* sed quando ad palliandas tantum usuras simulata fuit emptio, venditio, eùm tamen in rei veritate contractus pignoratitius esset, uti pluribus videre est apud Auctorem *Method. hoc §. 5. §. 6. infra de pignoribus* &c. ubi etiam advertit præsumi talem emptio- nem & venditionem præsentem usurariam esse. Primum si mutetur titulus (si scilicet eum, qui à te mutuum petit, cogas ad rem aliquam suam tibi vendendam, cum redimendi pactis;) secundò si pretium emptio- nis & venditionis sit modicum, & minus justo, & tertio si ad certum tempus pactum de redimendo strictum sit, ita ut ante illud elapsum non liceat rem taliter venditam redime-

re; si omnia concurrant, prudenter præsumitur usura palliata, sub prætextu emptio- nis, & venditionis talis, de qua etiam in *capit. Illo vos 4. infra de pignori- bus*.

§. VIII.

De Venditione rei donata propter nuptias à viro uxori, eadem consensu te, alteri facta.

Non potest maritus rem donatam uxori propter nuptias alienare, nec hypothecæ nomine obligare, etiam cum consensu uxoris, nisi post eorum bonorum uxori secundà vice consensu, si quidem consensu in scriptis dato, actus bonis mariti alia res sit, ex conditione demnitate mulieris sufficiente constat sit, & prospectum, prout habetur in *capit. pervenit. 4. h. t.* ex quo capitulum colligitur, quòd secundus hic consensu de jure requisitus, interveniens, non præsumatur, si per 30. annos à viro alienata nunquam contradixit mulier.

§. IX.

An & quando venditor tenetur emptori de evictione, & in quibus casibus non obligetur.

Evictio aliud non est, quàm rem ab alio legitimo titulo acquisitam, per judicem recuperatio: de hac autem præstanda teneri venditorem emptori, si res sibi bonâ fide vendita, & emptori alio, qui Dominum hujus rei legitime reperatur, & evincatur, constat, & §. 2. & 16. ff. de evictionibus. Sive de his præstanda fuerit expressè conventum

§. X.

Ad quem pertineat periculum rei vendita, ad venditorem, an ad emptorem?

sive non, cum naturaliter hujus evictionis à venditore præstandæ obligatio, contractui huic inesse videatur, si pro re, quæ tradita quidem jam fuit, hæc & nunc tamen evicta fuit, pretium jam fuit solutum; quod si tamen emptor, post institutum contra se iudicium, non denuntiet venditori (saltem ante conclusionem in causa) licet sibi de re, à venditore sibi vendita, ac tradita, moram, ut causam defendere possit, cum hujus vel maxime intersit, rem hanc non evinci, & sic merito scire præsumatur, quibus probationibus, contra evincere tentantem, agendum sit, non tenebitur de evictione præstanda venditor, cum cui, am rei evictæ in tali casu emptor sibi adscribere debeat, quod venditorem de periculo evictionis non monuerit, nisi per venditorem steterit, quo minus lis ei mora denuntietur; aut per pactum expressè reniserit emptori venditor denuntiandi obligationem, si tamè contra emptorem sententia condemnatoria lata fuerit, quia tempore sententiæ contumaciter à iudicio se absentavit, aut per injuriam iudicis, errorem, aut imperitiam, res evicta fuerit, non tenetur venditor de evictione, cum in his casibus rem emptam amiserit emptor, non propter evictionem, quam præstare tenetur venditor, sed propter suam contumaciam, aut iudicis imperitiam, prout habetur *ex cap. Si venditori 7. h. t.* Plures adhuc enumerant casus Civilitæ, in quibus de evictione non tenetur venditor, quos vide.

SI res vendita pereat, vel deterior fiat post traditionem, id sit damno emptoris, etiamsi nondum sit pretium solutum, modò de eo fides habita fuerit; res enim, cujus per traditionem Dominus factus est emptor, Domino suo perit; pari modo, si res, & quidem certa, ac determinata in individuo, absolute & purè vendita, sine culpa, aut mora culpabili venditoris, casu fortuito pereat ante traditionem, damno emptoris perit, etiamsi dominium nondum fuerit in illum translatum, ita ut non obstante rei emptæ interitu, totum tamen pretium venditori solvere teneatur emptor, si fortè nondum solvit, ut constat ex §. Cum autem. junctâ Glossâ In *stit. h. t.* & pluribus aliis iuribus. Quamvis enim emptor ante factam sibi rei emptæ traditionem, verus illius Dominus non sit, cum dominia traditionibus transferantur, sicuti tamen jurisdictione ejusdem rei Dominus ad commoda, & fructus censetur, ita etiam ad incommoda, & casus fortuitos *juxta reg. 15. Juris ff. Is qui actionem.* & plura alia jura. Si verò res vendita sit, non purè & absolute, sed sub conditione, pendente tamen conditione res talis perit, perit damno venditoris, etsi pretium pro ea re solutum jam fuisset, quod in tali casu emptori restituere teneretur venditor, quia ante impletam conditionem, non est perfe-

ta